

38. Animæ humanæ originem e cœlo esse, l. II, A c. 19, l. VII, c. 9 et 12.
39. Cœlum, terram, mundum denique rotundæ, sive orbicularis figuræ non esse, l. III, c. 24.
40. Diabolum non statim post transgressionem ad pœnam detrusum, sed in hunc mundum manere permisum, etc., l. III, c. 29; l. VII, c. 26.
41. Divina providentia aversos fuisse philosophos, ne scire possent veritatem, l. IV, c. 2.
42. Deum patrem dignatum fuisse Filium suum appellatione divini nominis, l. IV, c. 6.
43. Christum fuisse a principio Filium Dei, lib. IV, cap. 8.
44. Filium Dei a Deo Patre fuisse procreatum, l. IV, c. 8.
45. Dei Verbum spiritum esse cum voce et tono ex ore Dei prolatum, l. IV, c. 8.
46. Dei Filium Angelum esse, l. IV, c. 8 et c. 14; juxta unam lectionem, ibi, principem Angelorum.
47. Angelos Dei spiritus esse ex Dei naribus tacite prolatos, l. IV, c. 8.
48. Hominis spiritus dissolubiles esse, l. IV, c. 8.
49. Christum, cum carnem humanam sumpsit, hominem induisse, gessisse, l. IV, c. 10.
50. Christum passum esse anno quinto decimo Tiberii Cæsaris, lib. IV, c. 10.
51. Deum noluisse Filium suum in primo adventu in claritate et potestate cœlesti mittere, ut ingratus in Deum populus Judæorum in errorem induceretur, l. IV, c. 11.
52. 53. Duas resurrectiones futuras in fine sæculorum. Post primam resurrectionem Christum mille annis in terra cum justis regnatum. Quo tempore multa eventura pronuntiat, quæ falsa notantur, ipso regno mille annorum sublato, l. IV, c. 12, in fin.; l. VII, c. 2, 14, 19, 20, 21, 22, 24, 25 et 26. Epit., c. 11.
54. Infirmatum Virginis uterum, et factam in multa miseratione matrem Virginem, l. IV, c. 12.
55. Hierosolimam a Salomone conditam fuisse, C l. IV, c. 15 et c. 18.
56. Christum mediam inter Deum et hominem substantiam gessisse, sive medium inter Deum, et hominem esse, l. IV, c. 15 et c. 25.
57. Christum Deum et hominem fuisse ex utroque genere permistum, l. IV, c. 15.
58. Christum initio adolescentiæ suæ baptizatum fuisse, l. IV, c. 15.
59. Christum legem Dei solvisse, l. IV, c. 17.
60. Pilatum sententiam adversus Christum non tulisse, l. IV, c. 18.
61. Christum Dominum passionis tempore coloris puniceæ veste indutum fuisse, lib. eod., cap. eod.
62. Christum post passionem suam se Judæis ostendere noluisse, ne adduceret eos in pœnitentiam, et eos resanaret, l. IV, c. 20.
63. Deum purum virtutem docere non potuisse, quia expertus corporis non fecisset, quæ doceret; ideo Christum carnem sumpsisse, l. IV, c. 25.
64. Christi corpus e cruce intactum sublato, ne ad resurgendum inhabile redderetur, l. IV, c. 26.
65. Christianos, cum unum Deum esse dicant, duos tamen asserere, Deum Patrem, et Deum Filium, l. IV, c. 29. (*Hæc minus bene ab Isæo reprehensa esse videntur.*)
66. Patrem a Filio fieri, et Filium vicissim a Patre, l. IV, c. 29. (*Hæc etiam plano sensu explicantur: quod enim constituit patrem, vel paternitatem est filius vel filiatio; sicut paternitas constituit filiationem.*)
67. Usus luminum in templis supervacuum, l. VI, c. 2.
68. Qui sciens peccat, apud Deum veniam non habere, l. VI, c. 15.
69. Qui ab operibus malis abstinet, satis justum esse, l. VI, c. 15.
70. Maximum crimem esse illius, qui parum lætetur, cum adversi quidpiam inimico suo videat accidere, l. VI, c. 16.
71. Justo militare non licere, l. VI, c. 20.
72. Justo accusare quemquam crimine capitali non licere, l. VI, c. 20.
73. Præceptum in Decalogo positum, «Non occides,» simpliciter et absque ulla exceptione intelligendum esse, ut nullo modo liceat hominem occidere, l. VI, c. 20.
- B 74. Deum corpore præditum esse, lib. VII, cap. 5, Epitom. 10, de Ira Dei, 2 et 18, de Opific. 2 et 8.
75. 76. Mentem humanam in quiescentibus somno sopiri, in furiosis penitus extinguere, contagio corporeæ imbecillitatis ægrescere, lib. VII, cap. 12, Opific. cap. 18.
77. Animam humanam emissam corporis claustro ad sedem suam revolare, l. VII, c. 12.
78. Mundum sex millibus annorum duraturum, l. VII, c. 14 et 25 Epitom., c. 11.
79. Adam mille annis vixisse, l. VII, c. 14.
80. Non ante venturum Antichristum, quam Roma pereat, l. VII, c. 15 et 25.
81. Hostem superventurum decem Regibus in fine mundi, qui illos subigat, mox et ipse ab Antichristo subigendus, et occidendus, l. VII, c. 16 Epitom., c. 11.
82. In fine mundi prophetam missum iri a Deo, l. VII, c. 17.
83. Post prædicationem illius prophetæ Antichristum oriturum, l. VII, c. 17.
84. Malo spiritu Antichristum generatum iri, l. VII, c. 17.
85. Impios non resurrecturos in judicium, l. VII, c. 20.
86. Animam humanam spiritum esse, et ideo corpore exutam parem levibus ventis esse, lib. VII, c. 20.
87. Carnem, quam Deus homini superjecerit post resurrectionem non huic terrenæ fore similem, l. VII, c. 21.
88. Ignem inferni diversum natura esse ab hoc nostro, l. VII, c. 21.
89. Ignem inferni purum esse, et lucidum, etc., l. VII, c. 21.
90. Pœnas animarum et præmia differri usque ad diem universalis judicii, l. VII, c. 21.
91. Affectus interdum ad delinquendum cogere, Epitom., c. 4.
92. Deum auctorem esse malorum, l. de Ira Dei, c. 3.
93. Deum proposuisse bonum et malum, l. de Ira Dei, c. 15.
94. Aere ali animam, cibus corpus, lib. de Opific., c. 11.

ELENCHUS MANUSCRIPTORUM

CODICUM LACTANTII.

MANUSCRIPTI CODICES :

BALLIOLENSIS Oxoniæ in Anglia ms. codex, completens septem libros Divinarum Institutionum, ac li-

brum de Ira Dei. Eo usus est Thom. Sparckins in editione Oxoniensi anni 1684.

BALUZIANUS, seu clariss. necnon eruditissimi viri Stephani Baluzii Tutelensis ms. codex bonæ notæ 400 annorum. In eo sunt liber de Ira Dei incipiens a capite 8. et liber de Opificio Dei. Hic codex nunc est in Bibliotheca Regia, forma octava, numero 2967: quem videas infra.

Codex ms. Divin. Institutionum a **BARTHIO** visus, cujus tamen paucissimæ sunt variantes lectiones a Barthio excerptæ.

Ms. codex quo usus est **BETULEIUS** in editione, quæ post mortem ejus emissa est anno 1563; parce tamen hoc ms. usus videtur Betuleius.

BODLEIANUS Oxonii, continens libros Divinarum Institutionum, cum Epitome, et de Ira Dei, ac de Opificio Dei. Codex optimus, quo usus est **Thomas Sparkius** in editione 1614. Incipiunt variæ lectiones secundo tantum libro Divinarum Institutionum.

Duo Codices Cænobii **S. SALVATORIS BONONIENSIS**, quorum antiquior dicitur esse mille annorum, mihi vero ex specimine 900 annor. ætatem superare non videtur; non sunt enim litteræ quadratæ nec capitales; sunt potius similes ms. Regio 900 annorum notato 3755. Est equidem bonæ notæ; et quandoque differt a cæteris, ac nonnullas habet interpolationes. Hujus antiquissimi codicis specimina ediderunt **Leo Allatus** in *Hetruscis Antiquitatibus*; clarissimus **D. Bernardus de Montfaucon** in *Diario Italico*, et in *Palæographia Græca*, atque etiam **D. Nicolaus le Nourry**, tom. II *Apparatus ad Bibliothecam SS. Patrum*, p. 616.

Alterum exemplar **BONONIENSE** recentius est, sed priori non impar. Utrumque a **Thomasio**, quem **Isæus** sequitur, collatum ac sapius citatum. Multo plures horumce amborum mss. codicum variantes lectiones a Latino Latino in ora sui **Lactantii** notatas habuit **Joan. B. le Brun**, cura, et studio litterati viri **PETRI HEMARD**, Stampensis, in senatu Parisiensi advocati. Simile exemplar, idque autographum Latini Latini habuit **Lengletius** ex celeberrima Sanctæ Genovefæ Bibliotheca. Non equidem ipse **Latinus** contulerat mss. **Bononiensia**: sed varias eorum lectiones acceperat, anno 1558, a **Michaele Thoma Taxaquetio**, qui alius non est a **Thomasio**, **Lactantii** editore. De hoc infra in **TAXAQ.**

Codex **D. Joannis le BEUF**, Regiæ Inscriptionum Academiæ socii, continet solummodo duos libellos de Ira Dei et de Opificio Dei. Scriptus videtur sæculo decimo quarto.

Joannis Baptistæ LE BRUN, Rotomagensis, ms. codex 400 annorum, complectens septem libros Div. Institutionum libros de Ira Dei, et de Opificio Dei. In hujus margine adscriptæ sunt variæ alterius ms. codicis lectiones ad septem libros Divin. Institutionum.

CAMERACENSES duo in membrana codices; unus noni aut saltem decimi sæculi, sed ita mutilus, ut non nisi summo studio et cura legi possit. Continet septem libros Institutionum: habet fere ubique Græca eximia litteris quadratis scripta. Alter scriptus est ineunte sæculo decimo quinto, in quo continentur libri VII Institutionum, et libelli de Ira et de Opificio Dei, vel de Formatione hominis. Adsunt Græca, quandoque sat bene scripta, quandoque caractere vulgari latino.

Celeberrimæ Academiæ **CANTABRIGIENSIS** Bibliothecæ codex manuscriptus anno Domini **MCCCLXV** in venerabili Monasterio **Sublacensi**, ut notatur ad calcem ejusdem codicis; continetque septem libros Div. Institutionum, ac libros de Ira Dei, et de Opificio Dei: itaque ibi eo ipso anno scriptus fuit, quo prima editio **Sublaci** excusa est. Hunc vidit editor **Cantabrigiensis**. Hic codex descriptus non est ex prima **Sublaci** editione, a qua multum differt, ut patet ex variis lectionibus, quas ex eo profert editor **Cantabrigiensis**.

Lectiones variæ optimi ms. codicis a **Theodoro**

A CANTERO collectæ; quæ **Gallæo** sunt commodatæ.

Codex in membrana medio sæculo decimo quinto exaratus, et sat concinne scriptus. Hunc, qua pollet humanitate, mihi commodavit **R. P. Fulgentius**, præfectus Bibliothecæ **PP. CAPUCINORUM PARIENSIS** conventus **S. Honorati**. Græca in eo eleganter scripta sunt; non tamen adsunt omnibus in libris. Quo in codice leguntur libelli de Ira et de Opificio Dei.

Codex ms. antiquus et optimæ notæ, fere in omnibus antiquissimo **Bononiensi** similis, a **Jo. Cauci** accuratissime collatus, complectens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei. Hujus codicis variæ lectiones **Gallæo** usu venerunt.

Ms. codex collegii **Corporis Christi Oxonii**, continens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei. Eo usus est, parce tamen, **Thom. Sparkius**.

Mss. 400 et 500 annorum codices duo eruditissimi atque urbanissimi viri **GOTHFREDI CLERMONT AMSTODAMENSIS**, apud legatos **Batavos** in Gallia oratoris sacri, anno 1716; qui ubi audivit **Parisiis** a cl. viro **Stephano Baluzio**, **Joannem B. le Brun** in eo esse, ut **Lactantii** editionem ad mss. codices collatam et emendatam publici juris faceret, reversus **Amstelodamum**, duos ad usum humanissime **Joan. Bapt. le Brun** misit, cum editis duobus; quam ob rem ei multum debet hæc nostra editio.

Bibliothecæ **COLBERTINÆ** ms. codex 800 annorum, n. 1297, ex quo in lucem prodiit præclarus ille **Lactantii** liber de *Mortibus persecutorum*, clarissimi nec non eruditissimi viri **Stephani Baluzii** cura; quem ms. denno accuratissime contulit **Joan. B. le Brun**, ac ipse in eo cum editis conferendo curam summam ac studium suum posuit **Lengletius**, qui animadvertit plura ab aliis prætermissa. Alii sunt codices, horum unus, qui videtur esse ann. 700, n. 2679, scriptus est **Venetis**; alius 500 annor., n. 5175, scriptus in *diocesi Aniciensi*; tres alii 500 annorum, scilicet n. 5575, scripti **Bononiæ**; alteri duo, n. 4095 et n. 4495 complectentes libros *Divinarum Institutionum*, et libros de Ira Dei et de Opificio Dei; unus 500 item annorum scriptus **Bononiæ**, n. 1975, continens septem dumtaxat libros *Divinarum Institutionum*; et alter, 300 pariter annorum n. 6210, scriptus **Florentiæ**, continens libros de Ira Dei et de Opificio Dei. Est etiam alter, qui est, 800 annorum, n. 1536, qui nihil habet ex **Lactantio**, sed carmen de *Phœnice* sub nomine **Lactantii**. Atqui omnes isti codices **Colbertini** hodie sunt in **Regia Bibliotheca**: horum indicem ac ætatem mox dabimus.

Ms. codex *Divinarum Institutionum*, et libri de Opificio Dei **COLOMESIO** visus: cujus paucae admodum sunt variantes lectiones.

COLONIENSIS codex, cujus varias lectiones sæpissime profert editor **Coloniensis** anni 1544: qua editione usus est **Lengletius**.

COTTONIENSIS Oxonii codex ms. complectens libros Div. Institutionum, primo (ut videtur) dempto, cujus nonnullas variantes lectiones apposuit **Sparkius** in sua **Oxonien**si editione anni 1684.

Mss. codices duo, quorum variantes lectiones ad **Tornesium** misit **Jacobus Cujacius**. His **Tornesium** usus est in editione anni 1579.

Codex ms. Bibliothecæ collegii **EMMANUELENSIS** apud **Cantabrigienses** anno Domini **MCCCLXIV** descriptus, ut ex subscriptione ad finem addita liquet, et est altero **Cantabrigiensi** longe emendatior. Complectitur libros Div. Institutionum, et de Ira Dei ac de Opificio Dei. Hunc contulit editor **Cantabrigiensis**, ejusque varias lectiones præmisit suæ editioni.

Ms. codex vetustus, quo olim usus fuit **DESIDERIUS ERASMUS**. Illius variæ lectiones paucissimæ sunt, præterquam ad librum de Opificio Dei, quem paucis quibusdam notis illustravit **Erasmus** in hujus libelli editione anni 1529, et aliarum quæ postea excusæ sunt,

tum separatim, tum in quibusdam Lactantii editionibus.

Antiquissimus codex, quo Georgius ERHARDUS usus est: at cujus paucissimas variantes lectiones decerpit Gallæus.

Cujus nomen sæpius legitur in notis, is erat Petrus FRANCIS, eloquentiæ professor in illustri schola urbis Amstelodamensis, cujus Bibliotheca, non equidem numero voluminum, sed notis mss. hujus viri doctissimi unicuique libro aspersis illustrior erat. Obiit, ut puto, anno 1704, ejusque musæum litterarium venale fuit Amstelodami anno 1705, apud Henricum Weinstein, bibliopolam. Hujus in Lactantium annotationes et conjecturas habuerat Joan. Bapt. le Brun a Domino de Clermont, Batavo.

Ecclesiæ metropolitanæ S. GATIANI Turonensis 500 annorum codex, cujus, ac ms. codicis Majoris Monasterii variantes lectiones ad Joan. Bapt. le Brun misit Jacobus Christophorus Garreau, vir eruditus ac religiosus, et publico bono natus.

GOTHANUS codex ms. serenissimi Saxonum ducis est 400 circiter annorum; continetque septem libros Institutionum, ac libros de Ira Dei, et de Opificio Dei. Eo usi sunt Cellarius, Heumannus et Bunemannus.

Ms. codex Claudii Menardi, de quo sic J. F. GRONOVIUS: *Nactus in Andibus apud Claudium Menardum membranas non valde vetustas, incepti qualescumque essent conferre, et inveni quæ vulgaris potiora ducerem.* Plures dumtaxat locos duorum priorum librorum Div. Institutionum emendavit ex hoc manuscripto in libro Observationum in scriptores ecclesiasticos.

Quinque GUELF. aut WOLFF. mss. codices Wolfenbutelenses, partim ex Bibliotheca Gudiana, sed quorum varias lectiones habere non potuit Bunem. Fortasse quispiam felicior erit.

Codex ms. JANI GUILIELMI, aut saltem ab ipso collatus, non infimæ vetustatis. Continet libros Divinarum Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei: quasdam varias ejus lectiones habuit Gallæus.

Unus papyraceus ADRIANI JUNII, scholæ Amstelodamensis, in nova urbis regione rectoris. Hic codex fœda admodum manu ex optimo archetypo exaratus, commodatus fuit Gallæo ab Hadriano Junio. At eum diligentius inspexit Thomas Crenius.

LIPSIIENSIS Academiæ tres mss. codices carthacei, 500 circiter annorum, quorum unus est optimæ notæ, et antiquissimis consentiens. Continent libros Divinarum Institutionum, de Ira Dei et de Opificio Dei, dempto uno, in quo desunt duo postremi. His usi sunt Cellarius atque Bunemannus.

LONDINENSE Regium, de Ira Dei, cujus apographum habuit ex amico Bunemannus.

Ms. 500 annorum codex Majoris Monasterii, Gallice *Marmoutier*, ordinis S. Benedicti, S. Mauri congregationis, prope Turones.

MERTONIENSIS Oxonii ms. codex, cujus varias lectiones, sed nimis parvas, refert Sparkius in sua Oxoniensi editione; inchoat solum tertio libro Div. Institutionum usque ad finem libri de Opificio Dei.

Ex Bibliotheca collegii NAYARRICI Paris. ms. codex 500 annorum, complectens libros divin. Institutionum de Ira Dei, et de Opificio Dei.

Membranaceus codex PALATINUS, continens libros Divinarum Institutionum, cujus varias lectiones Gallæo suppeditavit Isaac Vossius.

Francisci PENIÆ Hispani, romanæ rotæ auditoris, ms. codex non infimæ notæ, complectens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei. Hunc Isaacus contulit: sed cujus sit ætatis non indicavit.

Mss. codices Bibliothecæ REGIS CHRISTIANISSIMI, quorum duo sunt 900 annorum optimæ notæ, primus n. 3755, et alter n. 3756, qui fuit olim ex Bibliotheca cl. Puteani: hunc Jo. Opsopæus contulit olim in nonnullis græcis Sibyllarum locis, et reliqua sunt a Joan. le Brun collata; unus 400 ann., n. 3976, et alter

A 500 an., n. 3759 optimæ notæ; unus 500 ann., n. 3757; alius 500 annor., n. 3741, optimæ notæ; unus 500 ann., n. 3740, cum eximiis picturis, in quo est etiam Epitome divinarum Institutionum; alius Mantuæ descriptus anno 1428, n. 3977; alius 300 circiter annorum, n. 3758, ex bono archetypo exscriptus; alter 200 aut 250 annorum, n. 3742. Alii duo 500 circiter annorum, n. 3978 et n. 3979, continentes solummodo Lactantii libros de Ira Dei, et de Opificio Dei, seu Formatione hominis.

Hos omnes codices æque ac Colbertinus contulit Joan. Bapt. le Brun, quorum hic damns indicem, eo quo nunc exstant ordine; scilicet:

N. 1662. Codex membranaceus olim Claud. Puteani: Cæcili Firmiani Lactantii libri septem Institutionum, liber de Ira Dei, liber de Opificio Dei, Epitome div. Institutionum, codex in-folio nono sæculo exaratus.

N. 1663. Codex membranaceus: de Falsa Religione libri septem, at Divin. Institutionum sexti finis et septimi pars maxima desiderantur, nono sæculo scriptus, in-folio.

N. 1664. Codex in membrana: Firmiani Lactantii de Falsa Religione libri septem, ejusdem ad Demetrian. liber de Opificio Dei: partim xv, partim xiv sæculo exaratus, in-fol.

N. 1665. Codex membranaceus: Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem: sub finem sæculi xvj scriptus, in-fol.

N. 1666. Codex chartaceus: Firmiani Lactantii Institutionum divinarum adversus gentes libri septem, liber de Opificio Dei, sive Formatione hominis, anno 1428 Mantuæ scriptus, in-folio.

N. 1667. Codex chartaceus, olim Colbertinus: Lucii Cæcili Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem, anno 1465 exaratus, in-folio.

N. 1668. Codex partim membranaceus, partim chartaceus: Firmiani Lactantii Divinarum Institutionum libri septem, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1669. Codex membranaceus, olim Colbertinus: Firmiani Lactantii divinarum Institutionum libri septem. Subjicitur excerptum ex S. Augustini lib. xx de Civit. Dei; de novissimo Judicio; de Ira Dei, de Opificio Dei, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1670. Codex membranaceus, olim Colbertinus: Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem. Subjicitur fragmentum de extremo Judicio, liber de Ira Dei, liber de Opificio Dei, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1671. Codex membranaceus, olim Puteanus; Firmiani Lactantii Institutionum Divinarum libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei, de Phœnice carmen, de Resurrectione carmen, Epitome divin. Institutionum, sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1672. Codex membranaceus: Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem, Præmittuntur poemata duo, unum de extremi judicii Die, anonymo auctore, alterum de resurrectionis Dominicæ Die, Lactantio tributum. Subjicitur fragmentum de extremo Judicio e S. Augustini libro xx de Civitate Dei, liber de Ira Dei, de Opificio Dei; sæculo xv exaratus, in-folio.

N. 1673. Codex membranaceus: Firmiani Lactantii Institutionum divinarum libri septem; passim ad marginem adjectæ sunt notæ R. P. Joannis Mariæ Brasichelli sacri Palatii Apostolici magistri: sub finem xv sæculi scriptus, in-folio. (At notæ Brasichelli quæ infra sunt editæ, scriptæ fuerunt initio sæculi, xvij.)

N. 1674. Codex membranaceus: Firmiani Lactantii libri septem Institutionum divinarum, quarum initium desideratur, de Ira divina, de Opificio Dei, sive Formatione hominis, carmen de Phœnice, de Resurrectionis Dei die; sub finem xv sæculi exaratus, in-folio.

N. 1675. Codex chartaceus: Lactantii Firmiani Institutionum divinarum adversus Gentes libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei, Epitome, de Ratio-

na libri fragmentum recentius: manu rudi scriptus, A codices mss. Lactantianorum operum; verum ætatem non indicat.

N. 1676. Codex chartaceus: Firmiani Lactantii liber de Ira Dei: xv sæculo exaratus, in-folio.

N. 1677. Codex membranaceus: Firmiani Lactantii liber de Ira Dei, et de Opificio Dei: sæculo xv scriptus, in-folio.

N. 1678. Codex chartaceus: Firmiani Lactantii errorum libri tres, auctore Antonio Raudensi, theologo: scriptus sæculo xv, in-folio.

N. 1679. Codex chartaceus, olim Colbertinus: idem liber Antonii Raudensis, in-folio.

N. 1680. Codex chartaceus, olim Colbertinus: idem liber Antonii Raudensis, in-folio.

N. 2625. Codex membranaceus, olim Colbertinus: Firmiani Lactantii divinarum Institutionum libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei: scriptus Bononiæ in Italia, anno 1456, in-4°.

N. 2624. Codex membranaceus: Firmiani Lactantii de Falsa Religione libri septem, de Ira Dei, de Opificio Deo: sæculo xv scriptus, in-4°.

N. 2625. Codex partim membranaceus, partim chartaceus, olim Colbertinus: Lactantii Firmiani Institutionum divinarum libri septem, de Ira Dei, de Opificio Dei: sæculo xv scriptus in-4°.

N. 2626. Codex membranaceus, olim Colbertinus: Lactantii Firmiani Institutionum libri septem, de Opificio Dei, seu hominis Formatione, de Ira Dei: scriptus sæculo xv, in-4°.

N. 2627. Codex membranaceus, olim Colbertinus: Lycii Cæcilii liber de Mortibus persecutorum, cum scriptis aliis: partim xii, partim xi sæculo scriptus, in 4°.

N. 2967. Codex membranaceus, olim Baluzianus: liber de Ira Dei (desiderantur septem priora capita), de Opificio Dei, seu hominis Formatione: sæculo xv scriptus, in 8°.

N. 2968. Codex membranaceus, olim Colbertinus: Lactantii Firmiani, de Ira Dei, de Opificio Dei, seu hominis Formatione, scriptus anno 1459, in-8°.

HEIMANNIANUS codex chartaceus, Bueemannio libenter communicatus, sæculi xv.

Codex unus in membrana, decimi quarti sæculi, quem habet eximia Bibliotheca eminentissimi cardinalis de Rohan, cujus principis summa humanitate copia nobis facta est. Continet solummodo septem libros Divinarum Institutionum, in quibus Græcum non legitur, sicut ea crebant tempora.

ROSTOCHIENSIS ms. codex, cujus paucae admodum sunt variantes lectiones ad libros Divinarum Institutionum. Has habuit Gallæus ab Isaaco Vossio.

SANGERMANENSIS codex, in membrana pariter, olim Seguerii, Franciæ cancellarii, eleganter scriptus, quadringentorum fere annorum, cui desunt duæ priorae paginae. Continet libros septem Divinarum Institutionum; Epitomen, sed imperfectam; libros de Ira divina ac de Opificio Dei; atque tandem carmen de Phœnice, cum ista admonitione: *Istu Carmina dicuntur esse Lactantii*. Quandoque adsunt Græca, eaque sat eleganter scripta.

SORBONICI duo 500 annorum, n. 271 et n. 272, in quorum priore legitur ad calcem, *Scripti ego Johannes de Maguncia...*, an. 1448. Uterque complectitur Lactantii septem libros Divin. Institutionum, et libros de Ira Dei, et de Opificio Dei, sive de hominis Formatione.

Ms. mille annorum codex TAURINENSIS Sardiniae regis, ex quo eruditissimi viri Christophori Matthæi Pfaffii beneficio in lucem prodit Parisiis, anno 1712. Divinarum Institutionum Epitome integra, paucis exceptis, cujus priora quinquaginta quinque deerant capita in præcedentibus editionibus. Hujus codicis apographum ad me misit clarissimus Pfaffius per doctum Johan. Gabrielem Schoefflinum. Monet Pfaffius exstare præterea in Bibliotheca Taurinensi novem

codices mss. Lactantii operum; verum ætatem non indicat.

Codex doctissimi viri Michaelis Thomæ TAXAQUETH, diligenter excussus atque examinatus ab ISÆO, qui ejus ætatem non indicavit. Continet libros Divinar. Institutionum, de Ira Dei et de Opificio Dei.

Miror sæpissime a doctis appellari codicem ms. TAXAQUETH, cum Taxaquetus non sit alius a Michaele Thomasio, Lactantii editore, qui Balearo-Majoricanus erat. Is, medio sæculo xvi, Bononiæ juri pontificio ac civili, cum, ut ait ipse (*Epistola ad Granvellen. cardin., Lactantio anni 1570 præfixa*), operam daret, vidit, non antiquissimum modo codicem Lactantii sæpius decantatum, sed etiam aliud exemplar in eadem Bibliotheca S. Salvatoris Bononiensis, minus equidem antiquum, at non impar illi antiquissimo. Nicolaus Antonius, Bibliothecæ Hispanæ novæ, t. II, in-folio, Romæ, 1672, p. 117, hanc controversiam dirimit. Sic enim ait: *Michael Thomasius Taxaquet Balearis-Majoricænsis cavareo ac pontificio juri operam navavit, cum Herde apud Catalanos, tum Bononiæ in Italia. Præclarum ejus doctrinam eruditoremque scripta præ se ferunt; scilicet Lactantii Firmiani opera emendavit, et notas addidit. Antuerpiæ ex officina Plantiniana 1570. Alia ejus opera recenset Nicolaus Antonius: sed suspicor unde natus sit error.*

Latinius Latinius hæc manu sua notavit, initio Lactantianæ editionis, Aldinæ, 1555, in qua varias lectiones Bononiensium inss. descripsit. *Emendare cepi, inquit, libros hosce Lactantii ex variis lectionibus duorum codicum, quorum alter ex Bibliotheca S. Salvatoris Bononiensis litteris Longobardicis descriptus miræ vetustatis, alter iidem Bononiæ ab erudito viro Michaele Thoma Taxaqueto, ex Balearum Majorie insula orto, diligentissime excussus, atque examinatus est. Earum vero emendationum copiam fecit mihi Taxaquetus cum Romæ esset, meque mirifice diligeret: quæ est hominis humanitas.* Hæc porro: eadem Latini manu ad calcem Lactantianæ Epitomes scripta sunt: *Emendationi huic manum adhibui Romæ, 1558, tertio kal. junii.* Hinc procul dubio ansam arripuerunt Isæus, alique viri eruditi, secernendi Michaelem Thomam Taxaquetium a Michaele Thomasio, Lactantii editore. At error ab uno semel patratum facile ad plures dimanavit. Non igitur culpandus erat Heumannus, quod Michaelem Thomasiolum a Michaele Thoma Taxaqueto non distinxerit aut separaverit. Si ergo doctis occasio evenit eruditorum errata reprehendendi id sobrie, id modeste fiat, velim, nec illos unquam juveniliter exagitem.

Ms. codex septem librorum Divinarum Institutionum empius a TORNESIO, cum suam pararet editionem Lugdunensem, an. 1567 et subsequentium, quorum in margine varias quasdam ms. codicis apposuit lectiones; sed ms. ætatem non indicavit.

Duodecim VATICANI codices mss. qui Romæ in Bibliotheca Vaticana asservantur: eorum lectiones passim allegantur. Horum Thomasiolum septem, Isæus vero quinque adhuc alios se cum superioribus septem mss. codicibus diligenter contulisse testatur; sed cujus fuerint ætatis, illis non placuit indicare nobis, sicut nec indicavit Gallæus eorum ms. quorum variantes lectiones collegit.

Ms. codex Abbatæ Canonicorum Regularium S. Victoris Paris. 400 circiter annorum, complectens libros Divinarum Institutionum, de Ira Dei et de Opificio Dei: quem benigne cum Joan. le Brun communicavit Dominus Vion Herovallius, canonicus regularis, et Bibliothecæ San-Victorinæ Parisiensis tunc præfectus.

Unus Canonicorum B. Mariæ ULTRAJECTINÆ ms. codex ex optimo descriptus archetypo, continens libros Div. Institutionum, de Ira Dei, et de Opificio Dei, quo usus est Gallæus.